

Q. H. 402, 2.

(X 1883893)

I. N. I.

II n  
1455

# SUEVIAM GENTILEM

DISSERTATIONE HISTORICA ADUMBRATAM  
BENEVOLO

AMPLISSIMÆ PHILOSOPHICÆ FACULTATIS  
CONSENSU

IN ALMA SALANA

ad d. Julii A. O. R. M DC LXXXV.

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTENT

M. GEORGIUS JACOBUS

MELLINUS

LINDAVIA-ACRONIANUS

ET

MELCHIOR VOIGT

LANDSBERGENSIS NEO-MARCHICUS.



J E N Æ

ITPIS GOLLNERIANIS.



S U E V I A M  
G E N T I L I E M

DISSERTATIONE HISTORICA ADMIRABILITATEM

REVERENDI

AMPLISSIMAE PHILOSOPHICAE FACULTATIS

CONSENSU

IN ALMA SALANA

ad d. Julii A. O. R. M. DC. LXXXV.

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTENTE

M. GEORGIIUS JACOBUS

MELLIUS

LINDAVIA-ACRONIANUS

ET

MELCHIOR VOIGT

LANDSBERGENSIS NEO-MARCHENSIS



J E N A

IN OFFICINA

JOHANNIS

BECKMANNI

IN



I. N. S. S. T. A.

## PROOEMIUM.

**S**ueviam, nobilissimam, & nunc & olim facile principem totius ferme Imperii Provinciam, Principum quondam & Imperatorum Germaniæ Matrem foecundissimam, monumenta ejus cum Gentilia, tum Christiana ordine lustraturus, multis licet itineribus ab ea nunc sim dissitus, & quod primum videtur, ætate longe inferior, quàm qui aut pridem senescencia, & quo merito lætamur omnes, in ruinis suis altè abscondita Gentilismi rudera attingere, aut reliquias cunarum Christianismi Suevici spectare valuissem, demum cum paucis quibusdam, & sæpius vix semidoctis scriptoribus, aut iis certe, qui patrios annales faciles nimis, & obsequiosos habuere, conflictaturus, dum ingredior; otio, forte & ingenio meo iniquum suscipio laborem. Succurrit autem in hoc negotio, quod memini apud Virgilium me legere: *Vincet amor patriæ, STUDIUM QUE immensa cupido.* Et sane, cum post sacrum non aliud magis studiorum genus animum meum alat, non aliud oblectet magis, ac antiquarium historicum, illud etiam mihi facile sum passus persuaderi, quod nulli satis in hoc videantur eruditi, quibus domestica sint ignota, & rem dignam judicavi, in qua erubescerem, in urbe propria si reperirer hospes, & in patria mea peregrinus audirem. Unde & illud mihi, ut si alicui argumento temporis non nihil esset dandum, in patrio isthoc, difficili quamvis, & multum laborioso, jucundo tamen (pa-

A

tria

tria enim quid jucundius?) ac, quod puto, non inani post-  
 hac desudandum ducerem. Neque vero omnium omnino  
 ætatum inde à ferali illo terrarum orbis diluvio, aut Japhetæ-  
 orum, ex quibus non postremos sese credidisse potuere Sue-  
 vi, migratione septentrionem versus & occasum ex oriente  
 factâ; nec nationum LIV. & plurium, in quas 'divisa  
 gens Suevorum pervetusta scriptoribus Æthico, Straboni &  
 Tacito celebratur, documenta quisquam à me expectet ve-  
 lim. Ad extimas enim illas Celticæ Cis-Rhenanæ oras, &  
 ad mare Germanicum usque, quod à priscis accolis Suevi-  
 cum Historicis audiebat, excurrere, nec temporis nec insti-  
 tuti ratio permittit. Jubet autem utrumque eos intra limi-  
 tes consistere, quos Hermundurorum genti (qui soli Roma-  
 nis SUEVI dicebantur, & civitas ipsorum fida Romanis, sat  
 magna alias, & si Cluverio  $\alpha$  credimus, à Salæ confluente ad  
 Danubium usque in longum protracta, SUEVIA) decre-  
 pito in Occidente Romano Imperio, ditionis suæ ultra Rhe-  
 ni Danubii que ripas facilis protensio, & victor demum Clo-  
 dovæus, Francorum Rex, ad Tolbiacum una cum reliquiis  
 Alemannorum, fidi tunc & fortunæ & nominis sociis, debel-  
 latæ constituerat  $\beta$ : Eos scilicet, quæ SUEVIA conclusa,  
 & ætatum & migrationum ratione habitâ, non incommode  
 MEDIA audit, & qua septentrionem vergit, in angustiores  
 redacta est terminos, Francis ibidem novam condentibus  
 Provinciam; qua vero meridiem spectat, multum protensa  
 utramque Rhatiam & Helvetiorum Alemanniam  $\gamma$  ducis  
 sub imperio comprehendit. Ex eo autem hoc est, quod non  
 alibi forte vestigia gentilismi tutius relegere, primitiasve  
 Sueviæ Christianæ colligere liceat. Sentio quidem nec sic  
 omnem ab opere difficultatem sublatam, & lateres potius du-  
 plicatos. Varia enim & diversa gentilium, Barbarorum ni-  
 mirum

$\alpha$ . lib. III. G. A. c. XXVIII.  $\beta$ . B. Rhenanus, lib. I. Rerum. Germ. p. 39.  $\gamma$ .  
 Idem lib. cit. p. 119.

mirum, & Romanorum sacra hic exponenda venient, pro-  
pterea quod Suevia maximam partem, & omnis quidem,  
quæ trans Danubium Galliam versus in dictas Provincias di-  
visa à Cæsarum temporibus ad Francorum usque aetatem  
Romanis paruit, patriosque Deos cum patrio cultu admisit,  
pristinis, quos à majoribus, qui vulgò Germani creduntur,  
habuere, abrogatis; reliquâ, uti nunquam à Romanis suba-  
ctâ, in barbarâ religione persistente. Est autem & in his a-  
liquis nobis Moses, & quod ex hac parte laborem reddet dif-  
ficilem, ex altera, & cum ad efflorescentis Christianismi se-  
culum Deo duce fuerit perventum, multum operam no-  
stram sublevabit puto: quandoquidem, quæ olim Romano-  
rum castra fuere, postea Sion facta, unde in omnem Suevi-  
am sonus Evangelii de Christo exiit. Ne tamen multum  
ita auctus labor in immensum crescat, operam navabimus  
sedulam, & facile, quod spero, rem omnem justos intra limi-  
tes cogemus, si in adscribendis Romanorum sacris, pluribus  
& veteris & recentioris ævi Historicis tritis, non magis cri-  
mus occupati, quam antiqua juserint Augustanorum docu-  
menta; in barbaris vero, non ita notis, aut undique obviis,  
nec minus in Christianis utrique parti communibus, curati-  
us aliquanto versaturi. Dispersimus hinc omnem operam  
in Dissertationes duas, quarum hæc Lectori Benevolo SUE-  
VIAM nostram GENTILEM, altera CHRISTIA-  
NAM adumbratam sistet. Utraque ostendet I. ORIGINES  
II. PROGRESSUS. III. Illa FINEM GENTILIS; hæc  
FLOREM CHRISTIANÆ, religionum.

Faxit Deus, feliciter!

# SUEVIA GENTILIS.

I.



Arbaros & nomine & omine olim fuisse Suevos, nemo forte, nisi in antiquitate hospes, negaverit. Nec tamen facile cum iis stabimus, qui immanitate ita efferatos credidere, ut per plura secula, & ad Romanorum usque in Germaniam transitum, sine D E O vixerint in orbe, ita ut ne suspicionem ullam, neve notitiam habuerint religionis *α*. Enim vero societates gentis hujus bene & in primis constitutas, ac ab ipso Tacito *β*. multum collaudatas, si è longinquo intueri datum nobis esset, vix aliter, ac Lactantius olim, sentiremus, qui religionem & timorem D E I solum esse, inquit, qui custodiat hominum inter se societatem *γ*. Quæ adeo vera sunt, ut ad vanam quoque extendi mereantur religionem. Ita enim alicubi Plutarchus de sua h. e. Ethnica religione: *mibi videtur urbs citius sine solo, quam respublica sine opinione de diis aut constitui, aut constituta servari.* Nec juvat hic in contrarium adduxisse Cæsaris verba *δ. neque druides habent (Germani,) qui rebus divinis prasint, neque sacrificiis student.* Nam, ne dicam auctorem hæc & alia prius, quam comperta satis habuerit, in suos commentarios perscripsisse, ipse Cæsar commentum illud oppidò absurdum paulo-post ita convellit: *deorum numero eos solum ducunt, quos cernunt, & quorum opibus aperte juvantur. Solem & Vulcanum & Lunam. Reliquos ne fama quidem acceperunt.* Et absque Cæsare si essemus, sufficeret Cicero ex Epicuri libris *ε: quæ est gens aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina πρὸ γένεσιν i. e. anticipationem quandam de D E O, quam non instituto aliquo, aut more, aut lege constitutam opinionem, sed insitam, vel potius innatam deorum*

*α. Vid. Cluv. G. A. lib. I. c. XXII. p. 109. β. lib. de Moribus Germ. γ. de ira DEI c. XII, δ. VI. Comm. de Bell. Gall. ε. lib. II. de N. D. n. 43.*

*deorum cognitionem appellat. Dionysius autem Halicarnas-*  
*ensis a. in iis Barbaris, οἱ τὰς περὶ θεῶν καὶ δαιμονίων παλαιὰς*  
*σεβασμὰς Ἰπὶ μήκιστον χρόνον διὰ φυλακῆς ἔχουσι, καὶ ἔδὲν ἀξιοίκα-*  
*νοιομεῖν εἰς αὐτὰ ὑπὸ δύμαλος κραζιμένη μηνιμάτων δαιμονίων. -- καὶ*  
*χρόνος ἔδεις μέχρι τῆς πάροντος ἀπομαθεῖν, ἢ παρανομησαί τι*  
*περὶ τῆς ὀργιασμένης τῶν θεῶν ἔπεισεν: qui patrios deorum ἔ ge-*  
*niorum cultus jam diutissimè servant, nec quicquam in iis ju-*  
*dicant immutandum, ira divina metu -- nec longa temporum*  
*serie adduci hætenus potuerunt, ut, quæ sacra patrio ritu cele-*  
*brant, dediscerent, aut aliqua ex parte immutarent, diser-*  
*te nominat ΚΕΛΤΟΥΣ, quorum nepotes si dixeris SUEVOS,*  
*à vero non aberrabis, cum, uti alias notabimus, ipse Diony-*  
*fius Germanos Celtarum nomine non semel appellarit. A-*  
*deo, ut de prisco & idololatrigo apud Suevos cultu amplius*  
*dubitare nihil habeamus. Exigit proinde instituti nostri*  
*ratio, ut primùm in hujus inquiramus*

#### ORIGINES.

II. Ad has ut deveniamus rectius, fundamentum re-  
 ligionis universè consideratæ ex S. Scripturis liceat repetere  
 brevibus.

III. Constituunt hoc proximè tempora postdiluvia-  
 na. Quanquam enim nec nos sentimus cum illis, qui toto  
 illo primo mundi seculo nullam inter mortales deastrum fu-  
 isse venerationem, & ab ipso etiam Caino & nepotibus ve-  
 rum & æternum Deum constanter cultum hætenus credi-  
 dere, numero plures β; nec cum Maimonide γ tempus Eno-  
 si, quo Idololatria cœperit, definimus: in his tamen minus tu-  
 to collocari statuimus, ex eo, quod vetus ille orbis diluvio  
 interciderit totus, Noacho solo cum familia ejus servato δ.

IV. Ex hoc ergo Parente, qui ortum duxere filii, in-  
 censum hic nobis veniant necesse est, velut auctores religio-

A 3

nis

a. VII. Antiqu. Rom. β. vid. Clav. G. A. lib. I. c. XXV. p. 213. γ. lib. de  
 Idol. c. 1. δ. Conf. Vossius, lib. I. Theologia Gentilis, c. 1.

nis universæ: Sem, Cam, Japhet. Tres illi, quorum posteros in duas dispescere partes placuit Celeberrimo Vosio l. c. Nec inepte; enim vero DEUS, licet singularem descendentibus ex Semo, Abrahæ & semini ejus, fecerit gratiam, ut in populum suum elegerit, non propterea omni gratiâ destituit cæteros. Siquidem in iis DEI notitiam non vulgarem, & quod mundum administraret, & colendus esset, & cultores præmium, contemptores sua maneret pœna, traditione servavit: cujus titulo Chamei imprimis, & Japhetæi extra & contra scripturas religiones suas palliare, & tueri sunt conati  $\alpha$ : sed infeliciter, & quantum per fabulas & ænigmata, quorum denique naturam induerat, licebat. Hoc constat  $\beta$ , Celtas, pro sapiam Japheti, postquam in Europam immigrarunt, ultrò parum sollicitos de natura rerum, quam tamen DEUS aliis, & qui humanitatem non tam exuerant, præter traditiones, magistram in religione dederat, miserè à Philosophis suis esse deceptos, ita ut imperiti non nisi corticem, & ænigmaticam acciperent Theologiam, nucleo, & veris de DEO vero, ejusque essentia sermonibus in pectore & scriniis præceptorum relictis. Quamvis nec hic satis tuto custoditos communis omnium postea docuerit superstitio.

V. Interea ita efferatam plebem quis non crediderit, ut denique, quam laudatus Vosius  $\gamma$  merito primam omnis idololatriæ causam judicavit, stupor & inscitia omnium occuparit animos, adeo, ut cum DEUM cognoscerent, eum tamen non cognoscerent ut DEUM, & ut plurimum ignoto struerent aras.

VI. Unde deinde facilis in contrarium lapsus & cultus Creatori debiti in creaturam translatio, satanâ instinctu suo adhæc non negligenter cooperante. Licet id definiendum hic nobis non sumamus, qua ratione Celta, & in his demum

SUE.

*a. Vide Chemnit. Exam. Conc. Trid. p. 1. pag. 26.  $\beta$ . Cluv. G. A. l. c.  $\gamma$ . lib I. c. IV.*



SUEVI etiam nostri, vel ad Dæmoniorum, vel ad manuum defunctorum, vel etiam siderum cultum à vero DEO deflexerint. το' οη propalam ex infra producendis scriptoribus constat.

VII. Plures interim varias assignant ejus rationes; è quibus tamen vix ulla magis displicet, ac ista Cluverii α, qua auctor est, falforum numinum, solis præsertim & siderum, venerationem, esse quandam quasi hæreditatem ex Caini nepotibus, uxoribus filiorum Noæ, dum cum suis degerent, ante aquarum eluvionem contractam, & mente servatam; exercitam vero velut priscam, simul ac arcâ cum viris suis fuerint egressæ, sicque ad posteritatem propagatam: suis nimirum, iisque non levibus difficultatibus laborans. Verisimiliora autem sunt, quæ observat Vossius, minimum quoad naturam corpoream in deos relatam. *Homines*, scribit β, *terris & terrestribus assueti, adduci vix poterant, ut esse crederent, quod non viderent, atque ut colerent, quod esse non putarent.* His si junxeris Plinii illud γ: *Deus est mortali, juri vari mortalem*, habebis forte, quæ barbari omnes, & in majoribus suis etiam SUEVI, teste Cæsare, in coelis stultè sunt mirati, ac in diis manibus superstitiosè venerati: sublimitatem scilicet siderum omnibus conspicuam, & excellentiam, ut judicare poterant, humanâ sorte majorem; beneficia etiam utrinque cumulate ad se delata, solis digna diis. Id quod etiam testatur Max. Tyrius δ: & exemplo est Isis Suevorum, quæ ob id solum pro DE A habita fertur, quod agriculturæ, oleæ, vini, cannabis, lini, ac metallorum ostenderit rationem ε. Sunt quoque è Regibus Germanorum plures, quorum manibus ob bene merita in patriam honos hic habitus

α. sub finem cap. XXV. lib. 1. β. Lib. II. cap. I. γ. Hist. Nat. Lib. II. c. VII. δ. Disf. XXXVIII. Conf. Petr. Danj. Huetius Demonstratione Evangel. Prop. III. n. XVIII. p. 61. ε. Vid. Crusium Annal. Suevic. lib. I. P. I. c. 1. p. 4. & Jod. Willichium in notis ad Tacit. de moribus Germanorum.

tus est *α*. Genios autem vel metu iræ, vel spe favoris pro ratione cujuscunque, siue bonus is fuerit, siue malus, à gentibus, etiam Suevis, cultos, si quis cum Vosio asseruerit, ad assensum pronus ero.

VIII. Ut ut vero hæc habeant, certissima inde *πολυθεότης* apud gentes, maximè Barbaros, colliguntur fundamenta puto.

IX. Quando autem hæc SUEVIS nostris plenius innotuerit, in tanta discordia, & Scriptorum Germanicorum raritate certò constituere difficilius est. Si tamen non nihil dicendum, videtur *Suevus*, Tuisconum Rex VIII, & ipse à gente, cui de suo condidisse nomen probabile est, in Deorum numerum adscitus, SUEVIS suis à majoribus, Germaniæ Regibus, acceptam, & hæctenus ad posteritatem carminibus celebratam religionem de meliore commendasse *β*.

X. Atque hinc tandem ad Progressus gentilitiæ apud Suevos religionis, & ad falsorum Numinum, quotquot apud probatos legimus scriptores, omnium ac singulorum cultum, & sacra gentis antiquissima, eorumque plenioris disquisitionem descendere possumus, si prius, quod polliciti sumus, vel verbulo monuerimus, Vindelicos, Rhætos & Helvetios sub initia Novi Fœderis in Romanorum potestatem redactos, ritus victoris ejusque sacra coactos recepisse. Id quod Dionys. Halicarnas. l. c. de omni barbarorum gente victa, & nos de his cum primis asserere nulli dubitamus. De quorum ratione similiter in sequentibus.

#### PROGRESSUS.

XI. In proxima igitur ab origine secula & in ipsam temporum barbariem cum animum advertimus, tanta prohdolor turpissimæ Suevorum *ειδολομανίας*, & fatanæ in his terris odiosa malitiæ incrementa deprehendimus, quanta mens

*α. Crusius l. c. β Idem ibid.*

pia cogitare non potest. Ingens hic Deorum turba, nefanda sacra, & diri ritus oculis offunduntur, & à populo ferocissimo consecratum devotumque reperimus, quicquid ferè impia omnium reliquarum gentium superstitio templorum areis arisque jam olim intulerat.

XII. DEORUM agmen si respicimus, parum abest, quin coelum & omnia elementa Deorum matres ipsis extitisse dicamus. Ita sane Procopius  $\alpha$  de Sueonibus, antiqua Suevorum gente: *Deos ac Dæmones plurimos colunt, cælestes simul ac aërios, simulque terrestres & marinos, & nonnulla alia Dæmonia, que in fontium fluminumque undis esse traduntur.* Nec dubium est, quin plures cum reliquis Suevis nostri communes habuerint. Germanos omnes olim coluisse Solem, Lunam & Vulcanum, supra audivimus ex Cæsare. His post Dionysium & Strabonem, immortaliter de Germanorum gente meritis Tacitus plures & ex natura, & ex animalibus, ut ita cum Vosio distinguamus, accenset, illumque Cæsaris errorem, quasi Germani reliquos ne fama quidem acceperint, ex prisco ævo & antiquitate convellit.

XIII. Ex illis quidem refert Mercurium, quem natio Gallorum omnis, religionibus admodum dedita, Cæsaris ætate Deum maximè coluit, Martem & Isidem  $\beta$ , Terram Matrem, sive Herthum  $\gamma$ , & Matrem Deum  $\delta$ . Ex his vero Deos interpretatione Romana, Castorem & Pollucem  $\delta$ , Tuistonem, Deum terræ editum, & filium ejus Mannum  $\epsilon$ , & Herculem  $\zeta$ . Alii alios, & plures præsertim genios recensent, de quibus prolixè Cluverius  $\eta$ , Schedius  $\theta$ , Hachenbergius  $\iota$ , & quem post fata merito colimus,  $\kappa$  noster Sagittarius  $\lambda$ , legendi. Nos in præsentiarum de SUEVIA MEDIA solliciti, in illos saltem inquirimus curatius, de quorum cultu in ipsa gente

*B. lib. II. de Sueonibus  $\beta$ . cap. IX. de moribus German.  $\gamma$ . c. XL. ibid.  $\delta$ . c. XLV. ibid.  $\epsilon$ . cap. XLIII.  $\zeta$ . c. II.  $\eta$ . cap. III. & IX.  $\theta$ . G. A. lib. c. XXVI. seqq.  $\iota$ . Syngr. I. & IV. de Diis Germ.  $\kappa$ . Germania Media dis. VII. de religione Germanorum gentili,  $\lambda$ . in Gentilism. & Christianismo Thuringia.*



Velferus  $\alpha$ ; quidquid sit de Manno, sive Adam, sive alius ex posteris Adami denotetur: nobis certe Cluverii assertum temere prolatum visum est. Quî enim verus Deus terra editus? quî filius ejus (procul dubio naturalis hic intelligendus) Mannus, sive Adamus? quomodo Adamo tres filii, è quorum nominibus proximi Ingævones, mediî Hermiones, cæteri Istævones vocentur? Viderat quidem Cluverius Gordios hos nodos, sed videtur, nec ipsius interfuisse, quomodo solvantur, modo fors exoptata impleatur. Unde & vetustate, & gentis barbarie corruptam omnino judicavit traditionem, quam Tacitus ex antiquis Germanorum legerit carminibus, totamque ad sacratissima Mosis documenta quovis modo emendandam. Quod & conatus: feliciter, si temporum illorum, & scriptoris Romani probata veritas sibi nec constare, nec Annales Germanorum vetusti ita vestiti, vel ullâ sui parte sibi similes amplius esse debent. Satius interim nobis videtur non tam patriæ amorî, quam veritati in his indulgere, & quod per Tuistonem non potuerint non coluisse virum virtutis excellentis, affirmare. Præter enim id, quod vetustis carminibus terra editus celebratur, forte non ficulneæ sunt rationes, quod homini forti Manno jungitur, pari cum illo honore afficitur, & ab ipsa gente Marti & Mercurio, summis Diis, posthabitus recte creditur. Taceamus, quod unum, verum, & æternum Deum eos agnovisse, ne vel apice vetusta doceant monumenta, nec rationibus firmis id docere queant Cluverius Schediusque, ob facilitatem suam merito notati à Cl. Vosio  $\beta$ , & Dn. Omeisio, Professore in Illustri Noricorum Universitate celeberrimo  $\gamma$ .

XV. Quinam autem fuerint Tuisto, Mannus, hujusque tres filii, singuli postea, velut gentium conditores Deo orti, in Deos relati, ut memorat Crusius l. c, ex tanto temporum  $\alpha$ . lib. III. rerum Boj. p. 77.  $\beta$ . lib. I. c. XXXVII.  $\gamma$ . *Disf. de Germanorum veterum theologia, & religione pagana.*

porum & historiarum intervallo certo non constat. Sunt, qui proximos Germanorum parentes, Gomerum scilicet & Ascenazum, filium illum, hunc nepotem Japhetis, nominatos credunt; quorum opinioni temporis etiam ratio potissimum respondet *a*. Alii, in quibus Vossius, Hachenbergius & plures, causæ nihil advertere volunt, cur hos apud Plinium habeant intelligere, & ex Taciti verbis reliquias veteris doctrinæ de Adamo, terra edito, eruunt, ut is sit Tuisto; item de Noacho, trium filiorum parente, ut is sit Mannus. Alii aliter sentiunt, & nos in his obscuris quemque suo patimur abundare sensu.

XVI. Herculem adhuc inter animales numeramus, & hunc Suevis optime notum. Cluverius  $\beta$  quidem Herculem & Martem unum esse contendit, atque hinc in naturalium ordinem referendum. Videtur tamen Taciti denuo historia nobis favere, qui non solum à Marte diversum docet, ubi de Germanis omnibus notat  $\gamma$ : *Herculem & Martem concessis animalibus placant*. Sed & heroem gentis fuisse discrete dicit  $\delta$ : *fuisse apud eos & Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in praelia canunt*. Conferatur Ammianus  $\zeta$ , Berosus, & ex hoc Willichius  $\eta$ , Aventinus ex Stabio, Maximiliani I. Imp. Historiographo  $\theta$ . Quis autem fuerit, an Thebanus, an Lybius Hercules; an vero alius eximia fortitudinis heros? non constat. Thebanum Alpes ad Taurisci (à quo Tauriscos, postea Noricos dictos, nomen habuisse, Plinius, auctor est) tyranni perniciem transisse, ipsique ab incolis divinos habitos fuisse honores, ex antiquis scriptoribus ostendere nisus est Dn. Omeisius *h*. c. Verum frustra hæc de Alemannorum Hercule, ut nos dicamus. Videtur enim Herculis nomen non à Germanis, fed

*a*. Vid. Sched. Synggr. I. de Diis Germ. & Jodocus Willichius Comment. in Tac. Germ.  $\beta$ . G. A. lib. I. c. XXVIII.  $\gamma$ . c. IX. de M. G.  $\delta$ . c. II de M. G. conf. c. XXXIV.  $\zeta$ . lib. XVIII.  $\eta$ . num. III. 1. & 10.  $\theta$ . XV. Annal. Boj. lib. I. & III. 1. H. N. lib. III. c. 13.

sed rursus, ut plura alia, à Romanis conditum, & vicino heroi  
inditum, forte quod non aliud rectius conveniat, non ex a-  
lio virtus incluta dijudicari melius queat. Quin autem a-  
pud gentes postea obtinuerit eadem compellandi ratio, du-  
bium non est, imprimis, qua proxima erat Romanis. Com-  
probant certe hoc pervetusta Sueviæ de Hercule suo monu-  
menta, non frustra ab Aventino, Stumpfio & Crusio in Anna-  
libus tradita, in quibus primum, simulacrum illud Herculis A-  
lemanni usque ad Maximiliani lævum in Augia lacus Boda-  
mici majori, divite post appellatâ, servatum, mox jussu Au-  
gustissimi Oenipontem deportatum: prout hujus rei ocula-  
tus erat testis laudatus Stabius. Est quidem Cluverius, qui  
Herculem hunc Alemannum velut *ridicule à vanissimo* ( ut  
nominat) *juxta ac ineptissimo Annio Viterbiensi in falsis suis*  
*sub Berosi nomine commentariis confictum* explodit, ratione  
hac potissimum usus, *quod Alemannorum nomen Augusto de-*  
*num Romanis imperitante fuerit natum*: quasi hæc obsta-  
rent, quò minus postea ab incolis Alemannis Hercules, ve-  
lut indiges, Alemanno nomine, aut à reliquis distingui, aut,  
quod minimè absolum, in nominis sui honorem & gentis  
gloriam ita compellari potuerit.

XVII. Plures præter hos ex hominum genere, ut jam  
diximus, recenset Crusius *a*, quibus post fata, vel ex manda-  
tis Regum, vel ex affectu plebis honor is habitus. Sue-  
vis præsertim Suevum carum fuisse credibile est. Quod verò  
quisque eorum ex instituto Ingævonis sub certo sidere, &  
*Mannus* quidem sub Luna, uxor ejus *Sunna* Sub sole; ipse  
*Ingævon* postea, velut Dei nuncius, ac dator sapientiæ & elo-  
quentiæ sub Mercurio; *Istævon*, sub Marte; *Hermion* sub si-  
dere ursæ, sive eo, quòd vulgò dicitur *Heermannswagen*;  
& ita porro fuerint culti? testem præter Crusium producere  
nequimus. Si tamen, quæ communis fere est sententia,

B 3

Sol

*a An. Su. l. c.*

Sol masculinum inter Deos, & Luna foemina, sive Deam, denotavit, fabula se ipsam confundit.

XVIII. Cæteros natura progenuit. Cælum quidem in immensum patens superstitioni campus erat. Præcipua tamen in veneratione, uti omnibus Germanis, ita procul dubio etiam Suevis nostris fuere sidera erratica, quæ Planetas dicunt. Nec tamen sua ætate distinctâ genealogiâ, aut latinâ interpretatione, veluti Romani & Græci, considerabant, sed promiscua siderum ac Deorum nominatione, modo per Mercurium, modo per Martem, Jovem aut Solem intellexere; uti id exemplis ex antiquitate non obscure docet Clarissimus Hachenbergius  $\alpha$ , & historia Taciti ipsa loquitur. Enim vero, quos Cæsar velut omnibus Germanis communes refert Deos, Solem & Lunam Tacitum aut latere oportuit, aut necesse est, Mercurium & Martem, quorum utrumque, quamvis ut recte judicat Vossius, diverso tempore & occasione etiam sub nominibus aliis; & hunc quidem Hesi, forte & Erici (*Erich*;) illum verò Teuthi, Teutani, Wodani, Nudani &c.  $\beta$  maxime deorum cultum  $\gamma$ , & Hermundurorum genti in primis æstimatum scribit  $\delta$ , eosdem, quales etiam gentium Theologis creduntur, statui cum Sole Cæsaribus; deas autem, si quas recenset, cum Luna convenire. Unde nec absre esse videtur, quod magna in his nomina, Cluverius, Vossius, & Schedius ll. cc. Macrobio  $\epsilon$ , & aliis in partes vocatis, pro hac sententia prolixè scripserunt, ac Soli, summo Deo, à variis virtutibus & effectibus varia à mortalibus nomina & numina in sidere vario tributa esse existimarunt, ac asserti veritatem partim ex nominibus ipsis, eorumque nativâ significatione, partim verò ex muniis, quibus

$\alpha$ . *Disf. cicatâ*.  $\beta$ . *Paulus Diaconus, rerum Longobard. lib. I. c. IX. Crus. Ann. Sæv. P. I. lib. IX. c. IX. Vid. Cluv. l. c. Vosf. lib. II. c. XIII. & XXXIII.  $\gamma$  cap. IX. de M G. Conf. Hist lib IV. cap. LXIV.  $\delta$ . Ann. lib. XIII. c. LVII.  $\epsilon$ . Saturnal. lib. I. c. XVII.*



bus uterque ex superstitione præerat Deus, singulis non alii magis, quam ipsi Soli convenientibus, eruditissimè adstruxerunt. Ad quos etiam in hac causa B. L. remisisse nunc sufficiet.

XIX. Num Suevi reliquos etiam ex maribus Planetis Deos admiserint, audacter non asserimus. A Saxonibus certe, Cattis, reliquisque septentrionem versus spectantibus populis Jovem & Saturnum sub Thori, aut Taranis (quod antiquè est Tonantis) & Crodi nominibus cultos meminere scriptores. Et potuere sane iis vel famà saltim eorum innotuisse sacra, quibus etiam accepti erant dies omnibus planetis hebdomadatim sacri *α.*

XX. Certiora interim sunt, quæ de Luna memorat Cæsar. Ad hanc omnium dearum nomina pertinere contendit Cluverius, ita ut non solum Venerem, Æstyorum Matrem Deum, quamque etiam apud VII. Suevorum nationes, quæ proxime Oceano accolebant, cultam testatur Tacitus l. c. & Herthum i. e. Terram Matrem; sed & Isidem, de qua Tacitus *β: Pars Suevorum Isidi sacrificat*, eandem cum Luna esse scribat, & ex variarum gentium Theologia asserti veritatem probare nitatur. Quam bene in singulis, alii quibus plus otii Deus fecit, videant: de ultimis duabus nos hic non nulla dicemus.

XXI. Herthum quidem, sive Matrem Terram, quod attinet, non possumus, quin eam cum Vulcano Deo, h. e. igne elementari *γ*, (quem idem ille, quasi cum Marte eundem, at male, iudice Vosio *δ*, inter sidera extulit, utpote in eo jam à Marte diversum, quod Cæsar ipsum ex mente vulgi à Sole distinxerit) de cælo deturbatam in sublunaribus Diis censeamus. Matrem quidem Deum vocari non inficias imus *ε*: at, quod inde colligit Cluverius *ζ*, vanum est; nimirum, *quasi tum satis fuerit probatum, Terram Matrem eandem esse Lunam*

*α. Cluverius l. c. β. Cap. IX. de M. G. γ. lib. II. c. LXVI. δ. l. c. ε. vide Macrob. Saturnal. lib. I. c. XII, & XXIII. ζ. lib. I. c. XXVII. G. A.*

*Lunam, quum eandem & Matrem Deum esse patuerit.* Præ-  
 ter enim id, quod plures in orbe nationes cum sole & luna,  
 clementa quoque crediderint Deos, observavit eruditis-  
 simus Vosius  $\alpha$ , quod in his ante alia tellus illos obtinuerit  
 honores, & prope omnium opinione fuerit *antiqua Mater*,  
 quam cœlo, quod in rerum generatione marem referat, nu-  
 ptam dixerint. Quam autem utrique, & Lunæ, & Terræ,  
 magnæ Matris Deum nomen conveniat, erudite ostendit,  
 & quod illa in cœlestibus, hæc in elementis principium to-  
 tius naturæ passivum designet, pluribus deduxit  $\beta$ . Et qui  
 quæso dubium erit à Germanis ipsam Terram, velut Ma-  
 trem Deum, cultam, qui potentissimos Deorum terra  
 editos celebrarunt, generisque sui origines ad terram re-  
 tulerunt, ut supra ex Tacito vidimus. Patrii annales si sibi  
 constarent, Crusium producerem, qui traditionibus acce-  
 ptum refert  $\gamma$ , terræ, quæ mater fuerit Tuistonis, & ab In-  
 gavone, Germanorum Rege III, in deorum numerum rela-  
 ta, famam more veteri ad posteritatem propagatam esse; sed  
 cum hi incertis & ferè fabulosis videantur inniti funda-  
 mentis, iis rei veritatem dubiam non reddemus. Ad Isidem  
 progredimur.

XXII. Isis quænam fuerit, non convenit scriptoribus.  
 Domesticam Ægyptiis Deam fuisse, Diodorus  $\delta$ , & Plutar-  
 chus  $\epsilon$ , testes sunt. An regina fuerit Ægypti, videant alii. In  
 Germaniam cum filio, Hercule Lybio, ad Gambrivium re-  
 gem venisse, ipsi nupsisse, primamque ibidem frugum in-  
 ventricem pro Deâ habitam fuisse, ex pervetusta Calletix  
 Hisp. inscriptione, quæ tamen Grutero conficta creditur,  
 refert Crusius  $\zeta$ , nescio, an non in bellis fabellis. Sacra inte-  
 rim ejus, licet peregrina, in Germania erant, teste Tacito  $\eta$ :

quam-  
 $\alpha$ . lib. II. c. LI.  $\beta$ . lib. II. c. LIV.  $\gamma$ . An. Sued. l. c.  $\delta$ . lib. I. Bibl. cap. XIV.  
 $\epsilon$ . lib. de Iside & Osiride.  $\zeta$ . P. I. lib. I. c. 1. A. S. Conf. Aventin, lib. V.  
 Annal. Boj.  $\eta$ . cap. IX. de M. G.

quamvis Vosſio aliter fere videatur, ut qui difficulter in a-  
nimū adducere potuit, Germanos vetus Iſidis nūmen, cu-  
jus ſera adeo notitia Græcis & Romanis, ab Aegyptiis accepis-  
ſe; ideoque in ſuperſtitione tot ſeculis intermorta conje-  
cturæ locum reliquit, quaſi Germanis hic quoque fuerint  
reliquiæ primæ de Adamo & Eva traditionis, quorum ille  
*Mannus* Germanorum, hæc *Iſcha* (Hebr. *אִשָּׁה*) fuerit, quæ  
interpretatione Romanâ ſit Iſis. Non enim perſpicere licet,  
quomodo celebratiſſimi Viri conjectura conciliari queat  
cum iſtis Taciti: *PARS Suevorum Iſidi ſacrificat.* Unde ve-  
ro fuerint allata, non una eſt ſententia. Cluverius certe,  
Iſidem eandem prorfus cum Luna falſo perſuaſus, non fuiſ-  
ſe peregrina judicat, ſed una cum ipſa gente ex Aſia in Euro-  
pam immigraffe β. Sed obſtat, puto, Cornelius, verbis jam ad-  
ductis, niſi etiam hoc ipſo, quod peregrinum ſacrum diſer-  
te dicit. Penes quem in his merito eſt fides, iudice Il-  
luſtri Conringio γ. Forte igitur potiores, qui ad Suevos ea à  
Pannonibus & Græcis, Iſtri olim accolis; ad hos à Syris; ad Sy-  
ros ab ipſis Aegyptiis manaffe arbitrantur, quibus etiam, po-  
ſito, quod ſint peregrina, pollicem premit Vosſius l. c.

XXIII. Facile autem ſic datur intelligere, quinam ex  
Suevis ſacra hæc peregrina ſuſceperint. Et ſane non alii ma-  
gis, quam qui proximi Iſtri oras antiquitùs tenuere Hermun-  
duri noſtri. Ad hos enim adverſo flumine, & ſic mari, na-  
vigio omnino potuere advehi, quod ex Taciti verbis velut  
neceſſarium exſculpere niſus eſt Cluverius l. c. An vero flu-  
minibus trajectis ad reliquos etiam gentis ſocios devenerint,  
ita ut ex ipſius Iſidis nomine varia condita ſint urbium nomi-  
na, qualia hodiernum ſunt Iſenacum, Iſenberg, Iſlebia, &c.  
curare noſtrum nunc non eſt; num verò ex hoc ipſo Taciti  
loco Auguſtæ Vindelicæ, & confiniis Iſidis cultus commodè  
à Schedio δ, & aſſeclis addicatur, plenius hic diſpiciemus.

XXIV.  
a. lib. II. c. XXXVIII. β. G. A. lib. I. c. XXVII. γ. in Pref. in Tacitum  
de Morib. Germ. δ. Syng. I. de Diis Germ. c. IX.

XXIV. Verbo autem mentem exponimus: mimimè. Neque enim Vindelici Suevis prius accensiti, quam ab ipsis sunt subacti. Quod autem Munsterus  $\alpha$ , quem in subsidium vocat Schedius, scribit: *Vindelici etiam pars Suevorum*; aut novam, & ut tempore Francorum constituta est, intelligit Sueviam, aut iudicio suo turpiter lapsus: quod ex consensu veterum, & limitibus Sueviæ antiquæ haud difficulter ostendi posset, nisi crederem omnibus, qui modo limina Geographiæ antiquæ salutarunt, satis nota.

XXV. Neque tamen id propter Isis sacra his Provinciis arcita prorsus, aut cum semel fuerint suscepta, pulsa iterum dicemus. Novimus enim quod difficulter admodum hic cessisset conatus, & frustraneus etiam Romanorum hic fuerit labor  $\beta$ . Habuit certe Isis in singulis suos cultores, etiam superstiosos: id quod docent monumenta illi à privatis in agro Norico posita, & annalibus ab Aventino illata  $\delta$ ; templum etiam Deæ in pago Helvetico, Wettinga, ubi nunc cœnobium est situm ad flumen Limagum, Romanis olim ibi imperitantibus, à quodam Lucio Magiano, Vitaqvensi, extractum, teste Stumpfio  $\gamma$ . At quo tempore coli ibidem cœperit, forte non tam patet: patebit autem, quando certas gentilitiæ religioni in his oris constituerimus periodos, singularum rationes nunc brevibus ducturi.

XXVI. Tres autem præcipuas patria nobis sistit historia. Prima erat, cum sui juris viverent Rhæti, Vindelici & Helvetii, prout Celtarum nationes reliquæ. Secunda, cum jugum Romanum rigida cervice subirent singuli, & sacris & moribus & linguæ Romanæ commercio imbuti. Tertia demum cum terga hostium sequerentur Suevi, & trajecto Danubio atque Rheno, castra & domicilia sua in Provinciis à Ro-

$\alpha$ . *Cosmograph. lib. III. β. Valerius Max. lib. I. c. III. γ. lib. III. Annal. Roj. δ. Chronici Helvet. lib. VI. cap. XXIII. Conf. Crusius Annal. Suev. l. c.*

manis derelictis collocarent. III Quæ temporum in singulis discrimina, supra jam notavimus.

XXVII. Ad primam quod attinet, non superest probatum documentum, quo certi reddamur de Iside tum temporis in his terris cultâ, nisi eam velis vel ex lunæ vel ex terræ cultu, quas Isidem aliàs significasse plures crediderunt, & nos verbo saltem monuimus n. XXII. colligere. Est quidem Crufius, qui, cum vetustatem Campoduni, oppidi hodie in Sueviâ Imperialis, probare nititur *a*, *ducentis ante natum Christum annis, & cum nondum oppidum, sed pagus esset, Cisa ibidem, vel Isidis fanum fuisse*, scribit. Quale quid etiam fragmentum historicum multimodis interpolatum (quod interdum inscriptionem præfert Historiæ Galliæ, & à Conrado Liechtenavio, Abbate Urspergensis, ad verbum ferè in Chronicis est relatam, at acerrime, nec temerè tamen, velut spurium per paginas plures notatum ab Illustri Velfero *β*), de ligneo Cisa Deæ templo, quod Augustæ post deductam Romanam coloniam inviolatum manserit, donec tandem vetustate collapsum colli dederit nomen, profert. Verum omisis aliis, quæ diffuse legi possunt in opere eximio Velferiano, duo insignes in relatis nævi hîc observari merentur, qui singuli sufficiunt ad confundendos Isidis Suevicæ in Vindeliciâ Patronos. Primum quidem templorum Isidi Deæ in Germaniâ structorum utraque pagina meminit: & tamen Tacito teste majores nostri non habuerunt templa: uti id inferius demonstrandum venit. Dein Cisa Vindelicorum, quæ, si tamen, topica Dea fuit, cum Iside Suevorum confunditur. *Quod si Cisa Suevorum Isis fuisset, ineptirent adhuc de muliebri oris specie, parumne testato Tacito, signum ipsum in modum Liburnæ figuratum docet advectam religionem*, verba sunt toties celebrati Velferi l. c. Unde mirari subit Dn. Omeisium in

C 2

dis-

*a. Annal. Suev. P. I. lib. XII. cap. VI. β. lib. III. rerum. August. γ. Velferius l. c.*

disfertatione laudata, cum Isidis sacra apud Suevos doceret,  
& volveret Velseri opera nitidissima, tamen cum Schedio  
fecisse, qui in per vetusto hoc, quod Augustæ in Prætorio  
conspicitur, monumento,

QUEM. MALE. POLLUERAT. CULTURA. NEPHARIA.  
DUDUM.

GALLUS. MONTICULUM. HUNC. TIBI. CISA. TULIT.  
nescio quem nævum deprehendisse videri vult: quippe, scri-  
bens, *Isidi collis sacer erat, non Cisa. Nec enim Cisa mons, sed  
Isidis, Eisenberg.* Namque & huic argumento Velsorum satis-  
fecisse puto *a.* Inde, pergit, *ineptiarum etiam, quod collem à  
Cisæ templo nomen invenisse memorat (fragmentum.) Appel-  
lationem, quæ ad Cisam fortè fortuna, ut fit, alluderet, fabulæ  
occasionem dedisse, & auctori asserendi audaciam addidisse  
satis video; nisi cui tamen clivus à fabula demum, quod fieri  
nihilominus potuit, videatur indigetatus: nam in censualibus  
Reipublicæ libris clivus Eisenberg inter D. Udalrici & D. Domi-  
nici, qui ridiculo vulgo nomine Affenwald / simiarum sylva est,  
describitur. Aliis Eisenberg proxime curiam, cujus origina-  
tio à publico carcere aperte Germanica  $\beta$ , substituere visum,  
quod Cisam eandem Isidem comminiscantur.*

XXVIII. Forte autem feliciori fato Isis in his oris usa  
est, postquam prima periodus defluxit. Patrios Deos cum  
patrio cultu colonix novæ intulisse Romanos supra innui-  
mus  $\gamma$ . Nec dubium de his esse potest, cum in opere Velse-  
riano prostent complura monumenta, uti Augustæ servan-  
tur, æri eleganter incisa, quibus Mercurium, quem omni-  
um maxime Deum in hac vicinia cultum colligit illustris au-  
ctor, duabus præcipue de causis; scilicet *quod mercatura,  
quodque viarum præses.* Cum ei & negotiatores, quo-  
rum magnus in provincia numerus, & qui quacunque alia  
occa-

*a. lib. cit. p. 222.  $\beta$ . Conf. Voss. lib. I. cap. XXXVIII.  $\gamma$ . Vid. Gabr. Bæ-  
celini Chron. Rhet. ad annum Christi XLI. & CCXX.*

occasione iter huc haberent, sacra fecerint  $\alpha$ . Martem  $\beta$ , Apollinem  $\gamma$ . Crannium: quo titulo præcipue apud Rhætos cultus  $\gamma$ . Sylvanum, quem totius territorii tuendi causa lacte in templo demulsere  $\delta$ . Plutonem & Proserpinam  $\epsilon$ ; Deos Deasque communes honorarunt. Jam vero Isidis etiam cultum Romæ fuisse, per Græcos advectum Dn. Omeisius  $\zeta$ , & Deam civitate donatana præter Valerium Maximum l. c. Lucanus  $\theta$ , non obscure docent. Lampridius etiam memorat de Commodò Imperatore, quod sacra Isidis coluerit; & Ælius Spartianus de Caracalla, quod Deæ Isidi templa ubique magna fecerit. Quod vero in Augustanis monumentis non ullum reperit Velserus, quod Isidis habuisset sacra, forte in causa fuit, quod scripsit, *ineptus cassusque labor est, Barbarà numina Romanis & Græcis conferre velle.* Quamvis hæc in eos dixisse videri possit, qui Cisam ex Tacito Isin sunt interpretati. Utut autem hæc habeant, nollem ego audacter obstrepere documentis Aventini, ex agro Bojco collectis; licet non ignorem, & hujus fidem nonnunquam multum fuisse suspectam Velsero.

XXIX. Certiora tertia periodus de Iside Suevo-Vindelica nobis pollicetur, ubi nec metus ultra à Chronologiæ lapsu esse potest. Immigrantes autem Suevos circa an. Chr. CCCCL. una cum aliis, Isidis etiam sacra & Augustam & in Vindeliciam, Rhætiam Helvetiamque omnem secum deduxisse, credere fas esse puto. Hoc enim licet antiquis documentis comprobatum dare nunc non possimus, suadet tamen firma ratio, & consentit Vir Nobilissimus Dn. Jo. Baptista Crophius, à Kaisersieg, in Schediasmate MSc. de primordiis & antiquitate Ecclesiæ Augustanæ.

C 3 XXX.  
*a. lib. V. & VI. Rer. August.  $\beta$ . Crus. A. S. P. I. lib. VII. c. IX.  $\gamma$ . Velserus in Monum. agri Aug. n. I. II. III. seqq.  $\delta$ . Monum. August. n. II. Crusius An. Sv. l. c.  $\epsilon$ . Monument. August. n. III.  $\zeta$  Disfert. cit. n. Pharsal lib. VIII. v. 831*

XXX. Atque hæc hæctenus de Diis Sueviæ nostræ, in quorum recensione potissimum animum occupatum voluimus. Licet enim non ignoremus, plures à pluribus esse consignatos; selectum tamen vel instituti nostri ratio suadebat: imprimis, cum certi simus, vix aliud, præter recensita, apud Auctores superesse Suevicum numen, cuius quidem probata haberi possit notitia, quod non alterius veluti agnati numinis aut naturam, aut cum natura etiam nomen, postquam scilicet πολυνομία apud gentes obtinuit, induerit: ita ut & hic loci pro eodem facile haberi possit.

XXXI. Igitur ad cultum numinum pergimus. Duplicem illum apud gentes olim fuisse ex Historicis plures observarunt: proprium unum, alterum symbolicum. Illum cum Clarissimo Vosio liceat vocemus, *quando, quod colitur, propriè & in se Deus esse existimatur*: hunc, cum quid colitur, *non quia credatur Deus, sed quia Deum significet* α. Utrumque receptum fuisse apud Suevos nostros, fortassis difficile videbitur demonstratu. Enim vero licet nos omnium omnino terrarum orbis nationum communis consensus de proprio numinis in gente Germana cultu, ejusque hinc inde tot deprehensa, etiam evidentiora vestigia non reddant dubios; de symbolico tamen difficultatis non nihil ex istis Taciti verbis β exoritur: *ceterum nec cobibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare ex magnitudine cœlestium arbitrantur*; & rursus paulo infra γ testantis: *apud Barbaros nulla simulacra*. Cum quò tamen rei ipsius vel hodiernum apud Magnates Germaniæ servata monumenta diu nos luctari non patiuntur. Notum est idolum de astri cuiusdam Thuringorum, cognomento *Püsterich*/quod Sondershusæ ostenditur, & pluribus describitur à curiosissimo olim antiquitatis Thuringicæ scrutatore, B. Sagittario nostro δ.

Nota,

α. *Theol. Gent. lib. 1. c. V. β. c. IX. lib. de M. G. γ c. XLIII. ejusd. lib. Gentil. Thuring. cap. II.*



ta, quam superius diximus sub Gloriosissimo Maximiliano I. Oenipontem translata, columna haectenus in Augia Divite Lacus Bodamici superstes, Herculis Alemanni. Nota ex Augustanis monumentis Mercurii imago, corpore nudo, nisi quod à tergo pallium sustinet, sinistra caduceum gestans, dextra capiti bovis pedibus adjacentis injecta, assistente gallo gallinaceo, visenda in ædibus Peutingerorum, & in ære exhibita à Celebratissimo Velfero  $\alpha$ : & quod alias in Thesauro Palatino  $\beta$ , recenset Begerus Clarissimus, huc maxime congruum Mercurii Germanici, (nisi quidem id potius est Alemanni Herculis, quod nobis valde probatur) simulacrum, memorabile visu; cujus de hoc verba, licet proluxiora, hic inferemus. In Electorali, inquit, Cimeliarchio statua est, antiquitatis & raritatis veneranda ærea. Alemannum exhibere, Deum Germanorum, ac à Maximiliano Imperatore in pago Alma, prope Constantiam anno MDVII. inventum, sequens veteris membrana, quæ juxta asservatur, inscriptio, si opinio vera, testatum facit:

Allmann Abgott bin ich /  
 Die Teuschzen iren nam hambt durch mich /  
 Von grossen Streiten der Walhen dich versich /  
 Allamanna Teuschzland nent sich /  
 Bey Costniz im dorff Alma lag ich /  
 Durch Künig Maximilion schickt es sich /  
 Im XVc und VII. Jare in die Lad legt er mich.

Quid, inquis, Alemannus cum Mercurio? dicam: alium non esse vel ipsa statua evincit: in capite pileum cernimus, non obscuris alarum vestigiis; dextram extensam gerit; sinistram deorsum inclinatam, plane qualis marsupium & caduceum gestare consuevit. Imo & inferiorem caducei partem adhuc superesse videmus. Quæ omnia Mercurium hunc Germanorum fuisse extra ponerent dubitationis aleam, nisi Tacitus Germanos

nec

$\alpha$ . Operum p. 367.  $\beta$ . pag. 16. seq.

*nec cohibere parietibus Deos, nec in ullam humani oris speciem  
assimilare ex magnitudine cœlestium arbitratos, asseveraret.*  
Non jam dicam alia famosa in gentium quondam, & gentilis-  
mi debellatione ab ipsis victoribus destructa Germanorum  
idola: de quibus tamen legi merentur Annales Francici, à  
Pithæo editi  $\alpha$ , Cranzius  $\beta$ , Lindenbrogius,  $\gamma$  Vosius  $\delta$ , Ha-  
chenbergius  $\epsilon$ , aliique.

XXXII. Et ex his plures de veritate cultus symbolici  
convicti, laborarunt, quomodo fidem faciant Tacito,  
scriptori aliàs & fide & prudentiâ maximo, secus quidem ac  
doctissimus Begerus, qui motus exemplo Mercurii Palatini,  
contra quam sentit Cluverius in Præfatione Germaniæ suæ  
Antiquæ, ac Illustris vir Hermannus Conringius  $\zeta$ , *Tacitum  
errasse, aut certe minus solide instructum fuisse de rebus Germa-  
niæ* concludit, *nec credendum esse, Germanos, præser-  
tim eos, quibus Romana consuevit natio, solos divinæ nature  
formam captu suo angustiore putasse, curæ sapientiores etiam  
non tantum humane figuræ incluserint, sed humanas quoque  
res ad divinæ potentie fastigium evexerint.* Suspiciantur au-  
tem illi, simulacra ista Deorum, omnemque cultum symboli-  
cum aut demum post Taciti tempora manasse à Gallis vici-  
nis, quibus jam Cæsaris ætate solennis erat  $\eta$ , in Germani-  
am; aut irrepsisse illum per Romanos, qui Germanorum a-  
gros occuparunt. Quæ conjectura auctorem, uti quidem no-  
bis innotuit, primum habuit Christ. Cölerum  $\theta$ , cui in tantum  
lubenter consentiemus, in quantum ipse Tacitus permittit.  
Hic autem scriptor in hoc minimum asserto sibi totus con-  
stare non videtur: equidem ipse non unum cultus symbolici  
monumentum in ipsa Germania & apud Suevos nostros

pro-  
 $\alpha$ . ad an. 1522.  $\beta$ . Sax. lib. II. c. IX & XIII.  $\gamma$ . in Vita Caroli  
Magni.  $\delta$ . Theol. Gentil. lib. II. c. XXXII.  $\epsilon$ . Diss. citat. n. VI.  $\zeta$ . lib. ci-  
tato.  $\eta$ . Vid. Cæs. de B. G. lib. VI. Comm. c. XVII.  $\theta$ . in Comment. ad  
hunc Taciti locum. Conf. Dn. Omeisius disert. laudatâ.

prodit. Quid enim, quaeso, illud, quod paulo ante citata verba de Isis cultu memorat? Unde, ait *a*, causa & origo peregrino sacro, parum comperi, nisi quod signum ipsum in modum LIBURNÆ figuratum docet advectam religionem. Peregrinum si forte quis hoc dixerit, & domesticum ex eodem libello β sibi habeat, ubi auctor de Herthi, i. e. Terræ Matris cultu ita scribit: Est in insula oceani castum nemus, dicatumque in eo vehiculum veste contectum, attingere uni sacerdoti concessum. Is adesse penetrati Deam intelligit, veētamque bubus fœminis multa cum veneratione prosequitur. Lati tunc dies, festa loca, quæcunque hospitio adventuque suo dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt, clausum omne ferrum, pax & quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem sacerdos satiata conversatione mortalium Deam templo reddat. Mox vehiculum & vestes, & si credere velis, numen ipsum secreto lacu abluitur. Servi ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, sanctæque ignorantia, quid sit illud, quod tantum perituri vident. Quo de symbolo, aliisque videatur Jodocus Willichius γ. Sunt & qui acinacem Marti sacrum δ, symbolum Dei hujus censent. Et Scythas quidem adorasse ipsum meminit Clemens Alexandrinus ε. Sed Scytharum hoc fuisse ostendit Elias Schedius, & aliam longè symboli hujus dedit rationem ζ. Cæterum Tyrius etiam Maximus η quercum, Jovi s Dei symbolum, religiose à Celtis cultum deprehendit. Nisi forte etiam adversus hæc Tacitus defendi potest, si, quod nunc maxime in mentem venit, humani oris speciem attendisse dicatur. Sed videant alii, quomodo eum concilient. Nos ad proprii cultus considerationem, eamque brevissimam tendimus.

D

XXXII.

*a*. cap IX. de M. G. β. Ibid. c. XL. γ. Comm. in Tacitum de Moribus Germanorum, num. XIX. δ. Pomp. Melalib. I. c. I. Bos finius lib. III. decade I. ε. in Protrept. Conf. Vosslib. I. c. XXXII. ζ. Syngr. I. de Diis Germ. cap. VI. θ. Disj XXXVIII.

XXXIII. Preces & sacrificia constituisse apud gentes  
 cultum numinis proprium, res ita manifesta est, ut ineptus  
 fortassis essem, si rationibus eam persuadere conarer, aut  
 testimoniorum cumulo confirmarem: dabit tamen in hanc  
 sententiam plura ipse dissertationis hujus cursus. Illas  
 in ipso sacrario, quod & templum alias Tacito audit, & est pe-  
 netrale luci; aut etiam ad ripas fluminum, gignendo sale fœcun-  
 dorum dicebant: *religione insita, eos maxime locos propinquare*  
*cælo, precesque mortalium à Deis nunquam propius exaudiri a.*  
 An simul, quod Schedius notavit β, πολυονώμως compella-  
 rint deos suos, *multiplici*, ut ait, *nominum cultu, multiplicem*  
*quoque potestatem iis accedere arbitrati*, exemplis non con-  
 stat. Græcis hoc solenne fuisse, Poëtarum fabulæ docent.  
 Hæc autem, sacrificia videlicet, rude aliquod & inficetum  
 pietatis genus præferebant, & ferales ritus κακοήλιαν Ju-  
 dæorum spirabant. Varia autem gentibus sacrificia fuisse  
 ex variis colligimus victimis. Solenniora illa, *quorum hor-*  
*renda primordia cæso publice homine celebrabant γ* ut pleri-  
 que omnes, sic etiam Suevi, & quod credibile est, cum Ro-  
 manis δ, novi etiam Romanorum in Provinciis coloni. Ger-  
 mani omnes Mercurio hostiis istiusmodi litare fas habe-  
 bant ε. Iisdem etiam Martem nonnunquam placasse Her-  
 munduros, idem tradit scriptor ζ. Cæterum βοσκήματα, καὶ παν-  
 τοῖα θηρία, καὶ ἀνθρώπων ὠλοκάυτην: *pecudes & omnis generis*  
 (nonnulli addunt, omnis etiam coloris, in primis in publi-  
 cis & majoribus sacrificiis. Nam in minoribus, uti in sacris  
 reliquis candidum superis, atrum inferis quærebant, teste  
 Plinio

*α. Tacit. An. XIII. c. XVII. Conf. Saubertus de sacrificiis veterum c.*  
*XIII. β. Syngr. I. c. IV. Conf. eund. Saubertum. l. c. p. 294. seq. γ. Stra-*  
*bo. lib. IV. Tacitus de moribus Germ. cap. XXXIX. Saubertus*  
*lib. cit. c. mmI. δ. Quintil. declam. c. 234. & Tertull. apolog. c. Im. ε. Ta-*  
*citus cap. Im. de Moribus Germ. & Ann. lib. mIII. c. LVII.*

Plinio  $\alpha$ ) *animantia* (& homines) *concremabant*, juxta Strabonem  $\beta$ . Imo viscum etiam, quem veteres Germani *ecælo* missum putarunt  $\gamma$ , herbasque ex agro in victimas adhibitas ostendit Schedius  $\delta$ . *Næniæ*, quæ in his actibus plures erant, & inhonestæ, judice Adamo Bremensi, satius reticentur: notatæ tamen sunt à Cluverio & Schedio in operibus ipsorum, ubi, si volupe est, ad nauseam legi possunt. Nos, ut sacrorum compendium faciamus, non nisi necessaria, & verbo quidem, tangemus.

XXXIV. Observatu autem dignissimum, quod ordinarie non nisi flatis, diisque sacratis diebus  $\epsilon$ , quos nonnulli eosdem hebdomadis esse judicarunt, qui vel hodiernum apud Germanos Mercurii, Martis &c. dicuntur, sacra ista fiebant. Alias & prælium ingressuri, aut victoriâ potiti, aut periculum etiam adituri, cultibus istis publicis vacabant  $\zeta$ . Quo in eosdem cum vicinis Rheni atque Istri accolis Romanis servarunt mores, ejusque memorabile in his oris prodit exemplum Aventinus  $\eta$ , scribens: *atque hi annes cum aucti aquis erant, ab omnibus, qui oram Gallie, Rætiarum, Vindelicorum, Noricorum, Pannonie, Mœsiarum incolebant, diis honos habitus, gratiaque actæ: quod si defecissent, aut siccitate decrevissent, aut denique glacies ripas conjunxisset, omnis tunc ætas atque sexus, viri, mulierculæ, senes, pueri, atque puella, publicè & privatim indixere justitium, ab auguribus, sacerdotibus, sacrificulis feriæ conceptæ, supplicationes decreta, circa omnia pubvinnaria deorum supplicatum est, hostiæ majores minoresque maectatæ, & peculiaribus ceremoniis, sacris sollempnibus, votis & comprecationibus Jovi Elicio operati sunt Pontifices minores & Flamines maximi, ut impetrarent pluviam in-*

D 2

un-

*a. Hist Nat. l. XIX. c. XLVI.  $\beta$ . l. c. Conf. Saub. l. c. cap. XXII. seq.  $\gamma$ . Conf. Aventini Ann. Boj. lib. III.  $\delta$ . Syng. II. cap. XXXVII. seq. Conf. Saubertum de sacrificiis Veterum cap. XXIV. Tacit. cap. IX. de M. G.  $\epsilon$ . Tacitus Annal. lib. XIII. c. LVII.  $\zeta$ . Annal. Boj. lib. II.*

undationemque horum fluminum, ne Germanis pateret transitus. Sacra præterea annua Jovi regi, Terræ Matri, genioque coloniae, sive Cisa fuerit, sive alia, Augustæ & in Provincia facta observavit Illustris Velserus  $\alpha$ .

XXXV. Ita autem & hi gentiles, (Suevos dico) cum sacra peragerent,  $\tau\acute{\alpha}\zeta\text{iv}$  adverterunt, ut nulla unquam prius conficerent, quam aris, quas ex cespite ita extruxerant, ut ex earum medio quercus, quæ sacra ipsis dicebatur, surgeret, figura triangulari perfectum trigonum reddente  $\beta$ ; aut etiam plano, arborum iniecissent frondes  $\gamma$ .

XXXVI. Hoc ut possint facilius, lucos ac nemora consecrarunt, deorumque nominibus appellarunt secretum illud, quod solâ reverentiâ viderunt  $\delta$ : secus ac Romani. Hi enim, licet Numæ temporibus res divina apud ipsos nondum aut simulacris, aut etiam templis constiterit, & sacra in lucis, non sine religione positis, fuerint operati  $\epsilon$ , Cæsarum tamen ætate non simplicia, sed auro & ebore fulgentia templa condidère, eorumque usus victis etiam commendarunt victores. Præstabit hanc in rem voluisse Monumenta Velseri Augustana  $\zeta$ , ubi Capitolio olim, velut alias illustres Romanorum colonias, Augustam quoque ornatam docet ex Actis S. Afræ, ac Vitruvii auctoritate fretus, idem in excelsissimo urbis loco situm fuisse iudicat. Præter hoc ex inscriptionibus vetustis rudera, & vestigia ædium Sylvano, Plutoni, Proserpinæ, Mercurio, aliisque diis deabusque sacrarum colligit, tandemque ludorum quinquennialium pene opidatim per Provincias constitutorum meminit. De queis vide sis plura apud ipsum auctorem. Nos ad priscos ex provincia redimus Suevos.

XXXVII. Damnarunt hi, ut jam supra innuimus, tem-  
plo-

$\alpha$ . rerum Augustan. lib. V. p. 258.  $\beta$ . Sched. Syng. II. c. XXV. de D. G.  
 $\gamma$ . Plinius l. c.  $\delta$ . Tacitus de M. G. cap. X. & Plin. H. N. lib. XII. c. 1. Ter-  
tull. in Apolog. c. XXXV.  $\zeta$ . Conf. rerum. August. lib. V.

plorum usum, donec in sedes Romanorum concessere. Causam Tacitus prodit  $\alpha$ : nimirum ex magnitudine coelestium Deos parietibus cohibere non arbitrabantur. Atque eandem alios quoque gentiles commovisse, ut pluribus in locis Diis suis ὑπαίθεα templa ædificarent, autumat Berneggerus  $\beta$ . Unde autem illi lucorum religioni occasionem mutuarint, diversæ sunt opiniones. Plerique κακοζηλίας foetum suspicantur, qua V.T. Patriarchas imitari studuerint gentiles  $\gamma$ . Sed forte potior est ratio, ex superstitione petita. Hanc enim, uti non aliud magis auget fovetque, atque timor; hic autem umbra etiam alitur, & tenebris  $\delta$ ; ita advertere omnino poterunt homines inter ipsos callidi, ac coercendæ superstitione plebis gnari Philosophi, hujusmodi lucos & nemora opacitate suâ tacitum quendam ac religiosum horrorem animis incussura, qui & arborum proceritate, & solitudine loci, silentioque præsertim accedente, præconcepta falsi numinis opinione, mirum augetur. Propterea non quosvis, nec in quovis loco serebant, & seligebant lucos, sed eos potissimum, queis in vetustissima ac maximæ molis robora florescebant, quosque vel maria, vel lacus, vel flumina alluebant: id quod indicat exemplum de Herthi luco apud Tacitum  $\epsilon$ , & ultra dari potest comprobatum ex confiniis Sueviæ nostræ. Proximè Reginoburgium, sive Ratisbonam lucum & montem Danubio olim imminentem, à Theodone, Bojorum Rege, Herculi olim Alemanno majorum more dicatum, ejusque nomine appellatum; post monachis S. Emmerammi à Principe Theodone circa an. 1000 XCVII. concessum, memorat Aventinus  $\zeta$ . Quin autem in ipsa etiam Suevia consiti olim fuerint luci, postea à Francis christianis excisi, quis dubitabit, cum vastitas sylvarum veterum scriptis sit celebrata, & id

D 3

pro-

$\alpha$ . de M. G. c. IX.  $\beta$ . Quest. XLVIII. in Tac. Germ.  $\gamma$ . Conf. eund. l. c.  $\delta$  Vid. Scaliger Exerc. CCII. n. 4.  $\epsilon$ . de M. G. c. XL.  $\zeta$ . Annal. Boj. lib. III. Conf. Marcus, Velserus Rer. Boj. lib. IV. p. 129.

propter Germania in nummo M. Aurel. Antonini Imp. abie-  
te designata, uti acutè observavit Ortelius, iudice Velfero *α*.  
Imo, si quid conjecturis dandum, idem nobis videtur de  
Aichstettio, oppido, si ad veterum lineas dimentienda est re-  
gio, in Hermunduris sito, quod Illustris Velferus de utro-  
que cœnobio Bavarico, vernacula nostra *Alt-ald* dicto, cen-  
sebat. *Fama*, scribit *β*, *manet*, nec à nominis ratione, nec à  
vero abhorrens, stetit iis, locis ad Danubii ripam prægrandes  
& annosas quercus, Deorum superstitioni dicatas, quas victi-  
marum sanguis sæpe resperferit. Bojos, postquam gentiles er-  
rores excussere, excidisse, ecclesiis christiano ritu substitutis.  
Adeo, ut in his locis nominis etiam appellatio insignis instar  
testimonii de lucis, & quercubus perpetim ibi sacris, esse pos-  
sit, etsi vel maxime non aliud ex antiquitate vestigium super-  
sit. Quamquam nec hoc sibi deesse putarunt, qui Suevos  
sylvam Martianam, & postquam cum Alemannis coalue-  
re, sylvam Mercurio, sive Wodani, sacram (*Odenwald* /  
quæ hodie dicitur, credo intelligi) tenuisse contendunt *γ*:  
ubi sane nec cespes aris struendis, nec roborum frondes iis  
ornandis, nec alia religioni & sacrificiis conficiendis apta  
unquam defecere. Quam sanctè cæteroquin habuerint lu-  
cos, Plinius *δ* docet, *nihil*, inquit, *habebant druides robo-  
re sacratius*. Cui Senecam *ε* jungimus: *hic, si tibi*, inquit, *oc-  
currit vetustis arboribus, & solitam altitudinem egressis fre-  
quens lucus, & conspectum cæli densitate ramorum aliorum ali-  
os protegentium submovens, illa proceritas sylva, & secretum lo-  
ci, & admiratio umbra, in aperto tam densa atque continua, fi-  
dem tibi numinis facit*. Et ipse Tacitus diserte de Suevis dicit:  
*Est & alia luco reverentia, nemo nisi ligatus vinculo ingreditur,  
ut minor, & potestatem numinis ante se ferens. Si forte prola-  
psus est, attolli & insurgere haud licitum*. Per humum evol-

*α. rerum Aug. lib. IV. p. 249. β. rerum Boj. lib. V. p. 151. γ. B. Rhen. lib.  
I. rerum Germ. p. m. 118. δ. l. c. s. Epistola. XL1. §. 1. c.*



vuntur. eoque omnis superstitio respicit, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus, cetera subiecta omnia atque parentia. Quod nec mirum, cum nullus unquam locus sine religione sit positus, teste Servio *α*. Qua de religione, quam consecrationem dicunt, vide sis Schedium *β*, & Dn. Omeisium *γ*.

XXXVIII. Demum ad ministros sacrorum accedimus. Veteres Germanos nullos habuisse temerè asseverat Cæsar, & contra reliquorum fidem. Nam quis unquam populus Deos sine cultu, aut cultum Deorum sine administratione habuit? Sane Tacitus quoties sacerdotum meminit apud Germanos, Cæsari aperte reclamatur. Strabo *δ* autem, & Diodorus *ε*, *Druides* apud ipsos nominatos diserte testantur. Unde hoc nominis ipsis fuerit, non una est conjectura. Aventinus *ζ* ab auctore Druide, qui quartus à Samothe fuerit, institutos & nominatos putat. Schedius *η* ex Rabinorum scriptis vocis origines legit, & à Rabinico *דרושן* *concionator*, ex radice *דרר*, quod idem, ac *quasivit, consuluit, scrutatus est*, derivat, quod hoc maximè cum Druidarum officio quadret. Sed dubio procul denominatio est origine Celtica: nec enim verisimile videtur, Germanos ab exteris mutuasse nomina, quæ de vernaculo idiomate haud difficulter condidissent. Superfunt sane apud scriptores ex antiquâ linguâ Celticâ vocabula non dissona multum, *trutas*, quod divinos sive Dei interpretes; *dry*, quod magum; *drau*, vel *drü*, quod fidem denotabat; singula origini nominis Druidum reliquis propiora. Quamquam non pugnabimus, si fortassis cuiquam altera illa, ac perquam commoda J. Isaaci Pontani sententia magis placeat, qui Druidum nomen ex lingua Britannica deductum existimat *θ*, à duobus nimirum vocabulis

*α. ad lib. III. Æneid. β. Syng. II. e. XXIII. seq. γ. l. c. δ. VI. Comment de Bell. Gall. ε. lib. IV. Geogr. ζ. lib. V. Biblioth. η. lib. I. ann. Boj θ. in Gloss. prisco Gall. p. 392.*

*try*, arbor, & *wis*, sapiens, Philosophus; ut ita dicti sint, quasi sylvestres Philosophi, *Baldweissen*/ quum sub quercibus, arboribusque aliis eos philosophatos esse inter omne constet: utpote cui ipse etiam Illustris Baro Puffendorfius & vel propterea subscripserat, quod præter appositam nominis rationem, quæ hic detur, manifestum sit ex Cæsare β, & Tacito γ, in Britania primum Druidarum disciplinam esse inventam; quodque eadem salvum præstet à plerorumque Cæsaris Commentatorum insultibus Plinium, qui Druides Græcâ interpretatione ἀπό τῶν δρυῶν appellatos videri posse scribit δ. Cæteroquin insignis collegii hujus in gente erat auctoritas, honosque summus; ita ut præter sacra res etiam curarent civiles, & ad nutum ipsorum cuncta agerentur & pacis & belli consilia ε. Res tamen divinæ apud ipsos, & solos quidem ζ, prima curarum fomenta. His pervigiles interesse, has doctè explicare, ac partim sacrificando, partim augurando η religiosè conservare sacerdotum erat; adeo, ut videri possint veteres, omne sapientum corpus sub uno Druidum nomine comprehendisse. Datur autem vel ex his cognoscere, non ex plebe homines, aut ingenuos sacris apud Germanos olim initiatos, sed eos solum, qui ex nobilitate prima, & quos ipsi Doctores ex disciplina sua emissos, dignos habuerint, qui, quod ipsimet θ, Theologorum, Medicorum, Philosophorum, Haruspicum agerent vices, & arcanis imbuti scientiis, sacra perficerent superstitiosa. Unum adhuc notatu hic dignum censeo, quod & fœminas in consortium suum admitterint, quæ & domi ι, & in castris sortes, deorumque nutus

ex-  
*a. in insigni, quam anno 1650. de Druidibus Lipsiæ habuit, dissertatione, c. I. β. l. c. γ. in vita Agricola. δ. lib. XVI. hist. Nat. c. XLIV. ε. Cæsar lib. VI. Comm. B. G. Diod. l. c. Tacitus de M. G. c. VII. & XI. quorum loca adduxere Cluverius G. A. lib. I. c. XXII. Schedius Syng. II. c. XIII. ζ. conf. Strabo & Diodorus II. cc. η. Tac. de M. G. cap. X. θ. conf. Cluverius. G. A. l. c. ι. Tacit. Hist. lib. IV. c. LXL.*

explorarunt, non impari cum viris sacerdotibus, & ea quidam dignitate fruitas, ut secretiora cum diis alloquia agitare creditæ, pro deabus colerentur. Exempla harum cum in Suevia non nisi generatim, & ab Agathia quidem, scriptore Græco, cum subsidii Gothis à Francorum rege Theobaldo adversus Narsetem missi meminit, his notata verbis: *ερανε εν exercιτη vates Alemannica, qua predicebant incipiendi praelii tempus & eventum*: occurrant, ex omni Germaniâ nomina Velledæ cujusdem β producimur, & Gannæ: qua de postrema Dionysius Halicarnasensis γ: *ην δε μετὰ τὴν Βελήδων εν Κελτικῇ θειόζωσα*: i. e. erat hac post Veledam in Celtica, sive Germania, vates oracula reddens. Omnes autem unum sibi præfectum habebant sacerdotem, quem dicebant summum. Hic aut dignitate in cæteris excellens succedit, aut se pares plures, Druidum suffragio adlegitur, aut armis etiam de principatu contendit, teste Cæsare δ. In hoc ipso autem Germanorum illud, Suevis etiam nostris gratum olim, & acceptum sacerdotium cum Romano, & quod erat in Provinciis, conveniebat. Namque & hi Pontificem summum respiciebant inde à Numæ temporibus, cui suberant Pontifices reliqui, etiam provinciales & colonici novi; Flamines, Augures & Haruspices, quorum omnium numerum grandio-rem fuisse, quam hodie quisquam cogitatione percipiat, idem colligit Velserus; contra vero ex lege Rulli centum Decuriones, decem Augures, sex Pontifices Augustæ, totidemque in reliquis coloniis Augustis constitutos autumat I. c. Plura desiderantibus satisfaciet opus ipsum, quo in & dignitates, & titulos, & vestitus prolixè legent descriptos.

XXXIX. Placita denique Druidum Philosophica & capita religionis; catalogum etiam reliquarum paganiarum traderem, nisi ex illis præter nota de condito mundo, eoque

E

igne

a. Conf. Illustris Velserus rerum Boj. lib. II. β. Tacitus de M. G. cap. VIII. γ. lib. XLVII. Antiqu. d. l. c. Conf. Illustr. Puffendorffius Diss. cit. cap. IV. ε. Vid. Velserus rerum August. lib. V.

igne iterum perituro, ac animarum immortalitate, vel scriptorum penuria, vel severa lex, quâ doctrinæ divulgatio est prohibita, cuncta nobis invidissent; dicta autem jamdum illustrata satis essent, & ex veterum scriptis à Cluverio *α*, Schedio *β*, & illustri Puffendorffio *γ* comprobata. His autem, cum omnium fere, quæ in gente Germanâ ævo adhuc Carolingico obtinuerent, & prohi-dolor, nequidem post illud ita abrogatæ, ut non hinc inde apud infimos etiam posterios nonnullarum deprehendere liceret vestigia, indicinam exhibeant magni Viri, Ferdinandus, Episcopus Paderbornensis *δ*; Conringius *ε*, Baluzius *ζ*, Sagittarius *η*; plures insuper earum dictu impiæ sint ac horrendæ, nonnullæ tamen mox producendæ; non ulterius immoramur, sed pertasi dudum superstitionis gentilis, & lasi monstrosis majorum erroribus, tandem ex tenebris revertimur, & postquam paucis adhuc felicem earum discussionem monstraverimus, brevius vero Deo assertos, beatissimamque christianæ religionis lucem in his oris respiciemus.

F I N I S.

XL. Eò lætior gratiorque nobis hæc est meditatio, quo magis ista ad providam Dei de patrum nostrum salute curam, & ad omnia Thearchias Suevica agnoscenda ac deprædicanda nos inducit. Fatendum autem est, non tam felicibus esse licuit Suevis nostris, ut, quando Asiaticæ gentes, & Græcorum Latinorumque magna pars sacris christianis initiati, illi à gentili cultu & religione discederent: sed diu spissis suis obruti tenebris jacuere. At ô utinam superstitionis suæ non ita fuissent tenaces, ut vel tum cohærissent religioni & moribus Christianorum, cum, Deo O. M. ita dirigente, in suis finibus haberent, qui alliciebant, impellebant, vi adigebant. Non dicimus eos, qui oras trans-Danubianas tenuere, Rhæ-

*α*. G. A. lib. I. c. XXIII. *β*. Sched. Syng. II. c. XX. *γ*. Dissert. cap. VI.  
*δ* sub finem Monument. Paderbornensium. *ε*. lib. de Orig. Juris Germ.  
*ed tert. p. 349. ζ*. Tom. I. Capitul. Reg. Franc. p. 150. seq. *η*. Gentilissim.  
 Thuring. cap. III. n. VIII. p. 16. seq.

tos puta, Vindelicos Helveiosque, qui utique, mitioribus ingeniis imbuti, sponte suâ Christo nomina dedissent, nisi idolatricorum Imperatorum armis diu fuissent contenti, & sicubi paulum pullulascere videbatur res christiana, in ipsa herba iterum esset extincta. Sed Hermunduros antiquos & Alemannos loquor, qui non in hoc solum reliquis Germanis feliciores, ut præter periculi metum cum hoste consuescere, atque adeo non potuerint non de novæ fidei præceptis vel rumore aliquid percipere; sed & sedes nationis hujus si spectaveris, & fortunatos belli eventus, amplissimasque in Provinciis Romanis occupationes, in singulis primas ipsis à Deo concessas dices.

XLI. Quæ quæso non benignitas numinis divini? anno CCCCLI. Augusta, cujus Ecclesiæ procul dubio latior nunc erat facies, veluti sub Imperatoribus christianis res florescens, post funestam Attilæ in Gallias expeditionem, & cladem inde acceptam reparata à Christianis, ultrò Suevis patebat. Ita enim Gassarus sentit *a*, tempestate cessante, cladi superstites è vicinarum Alpium latebris proreptantes, præcipue Christi fideles, patriam repetivisse, ac ecclesiâ qualicunque accessione hic loci reparatâ, proximos quosque extorres ad cohabitandum suâ innocentiam, solique opportunitate invitasse. Concessisse etiam eò non multo post Alemannos, atque Hermunduros, at non ut hospites, sed ut dominos; debellatisque in utraque Rhætiâ atque Helvetiâ Romanis militibus, vastissimum trans Rhenum conditum regnum de suo nomine (hi enim soli Suevorum nomen retinuerant) SUEVIAM dixisse, constans scriptorum est traditio *β*; felices futuros, si & christianam. Sed uti animos nihil unquam efficacius atque superstitio rexit, ita etiam hic familiaritate,

E 2

quæ  
*a. Annal. August. MS. p. 20. Conf. Marcus Velserus lib. VIII. rerum August. p. 332. β. Vide Munsterum, Cosmograph. lib. III. c. 18. Stumpsi- um, Chron. Helv. lib. IV. cap. XXVII. Rhenanum, lib. I. rerum. Germ. Crusium, p. I. lib. VIII. c. IX. Bucelin. in Chronicis ad an. 498.*

quæ ipsis cum Provincialibus hætenus intercedebat, in odium versâ, Christiana sacra undiquaque sunt excisa, & tam in ipsos homines, quam in templorum parietes & altaria, immane quantum sæviturum est: quemadmodum anxie cladem hanc Suevicam deplorat D. Hieronimus  $\alpha$ .

XLII. Excedens fidem & incredibilis hujus populi felicitas, usque ad annum Christi CCCCXCIX: sed & superba. Emensi plures terrarum tractus, & jam ad Burgundionum delati campos, de summâ rerum, & exigendis è novo Galliarum regno Francis, cum quibus, ut adamatæ Galliæ rivalibus, non conveniebant, cogitarunt. Sed uti nunquam simpliciter indulget fortuna, ita hic, quantamcunque habuerint felicitatem, invidiam tamen senserunt majorem. Mox enim inauspicato prælio ad Tolbiacum in Ubiis victi, ac maximam partem cum ferro, tum servitio sunt subjugati; ita quidem, ut, quum victor Clodoveus, Francorum rex, non desisteret persequi, quam late patebat nomen Alemannicum, Suevi plures, donec licebat, in sedibus suis exularent, pauci tandem trans Alpes ad confœderatos Ostrogothos fugerent, inque Theoderici regis fide, ac dextris sociorum, libertatem, opem, spemque futuri temporis omnem gererent  $\beta$ . Hic finis erat regni & gloriæ Alemannicæ; potuisset etiam gentilitiæ religionis, nisi ingenitam omittere vel coacti quoque recusassent. Jam enim vota sua Christo solverat Clodovæus, unaque cum Proceribus regni Francicæ, ac plebe multa nomen ejus publice profitebatur, cultu ejus simul cum imperio etiam in Alemanniam invecito. Constat autem ex Agathiâ, quamvis Græco scriptore, Alemannos fugitivos demum post Theoderici I. mortem à Gothis ob difficillima, quæ in Italia gerebant, bella dimissos, & à Theodiberto rege in patriam receptos, ne post plures quidem annos sacra & mores victorum expetisse. Adscribam

In-  
 $\alpha$ . Epistol. VII. Conf. Rhenanus lib. II. p. 161.  $\beta$ . Vide Rhenanum & Crusium ll. cc.

Interpretis verba, uti apud B. Rhenanum  $\alpha$  habentur: *Alemannorum gentem, inquit, per Gothos dimissam, Theodibertus inditionem accepit. Quo mortuo, ut supra jam diximus, ad Theodobaldum filium cum ceteris & hii simul in potestatem ceserunt. Huic genti legitima quaedam & patria sunt instituta, siquidem in rebus publicis administrandis & magistratibus Francorum politiam sectantur & leges., In his tamen, quæ ad religionem ac Deum spectant, ab his longe dissentiunt, nimirum qui arbores quasdam adorent, propitientque, nec secus fontes & fluminum aquas, collesque & saltus, quibus perinde, ac religiose id agant, equos & boves, & infinita hujusmodi pecora dissectis cervicibus immolant., Sed cum Francis assidua conversatio maximum his in commodum conducit, & ornamenti plurimum affert, ad seque cottidie trahit, qui sui compotes sunt. Et spero fore, ut non longo post temporis intervallo istorum pervictura sit pertinaciam. Et sane non vanus erat vates hic scriptor. Multum omnino apud Barbaros mollior consuetudo valuit, & quos natura non poterat, longior dies mitigavit; quamvis adhuc dum difficile fuerit deliria superstitionum penitus relinquere.*

XLIII. Nec inanes in hac causa fuere leges Alemannicæ (ad quas, quantum quidem ego perspicio, ipse Agathias hic respicit,) quæ partim ex consuetudinibus, partim è scriptis Alemannorum traditionibus à Theoderico, qui parens erat Theodeberti regis, filius autem Clodovæi M, Francorum rege primum erant constitutæ; repetitæ deinde & auctæ, ut ut nondum publicatæ, à Childeberto II, sed mox à successore Clothario in comitiis regni publicis promulgatæ; demum à Dagoberto M. sub initia seculi christiani VII. recognitæ, & in formam redactæ  $\beta$ . Singuli enim reges pro ratione status & cognitionis, capita ista, quæ superstitionem

E 3

redo-

*$\alpha$ . l. c.  $\beta$ . Vide præfamen ad Legem Alemannicam uti & præfationem Vadiani in libros de Collegiis & Monasteriis Germania apud Goldastum Tom. III, scriptorum Alemannis.*

redolebant, & penitus Christianorum religioni & fidei ad-  
versabantur, sustulerunt; pluribus, quæ gentilium errorum  
vepretis vestita fuerant, obrogarunt; imò metu poenæ, aut  
servitutis perpetuæ, servos simul atque libertos (nihil enim  
pauciores hi, utut rigida cervice jugum hoc subibant, inter  
innumeros servos potuere) ad servandas, quæ præscribeban-  
tur leges, adegerunt: id quod non obscure docet lex ex anti-  
quitate superstes, *non feriant die Dominico perpetuam inter-  
minans servitutem a.*

XLIV. Zelo insuper, quo pii ecclesiæ Suevicæ restau-  
ratores, Columbanus Abbas, ejusque discipulus Galius, uter-  
que natione Scotus, circa annum 1000. in oris Alemanno-  
rum, & cum primis in ripa lacus Bodamici in gentiles, eorum-  
que sacra inveci, multi commoti sunt β. Neque tamen vires  
regiæ, vel verba horum monachorum tantum potuere, ut  
non solum tum temporis Sueviæ dux, Gunzo, Iburingæ ad  
dextram lacus aliàs confidens, eos aliquandiu non perseque-  
retur, & plures ex plebe irâ ac invidiâ velut sacrorum suo-  
rum violatores insectarentur, consilioque communi peri-  
mere gestirent; sed & in seris eorum posteris aliquam multi  
hujus farinae homines, non tam convertendi, quam cogen-  
di, non occurrerent γ.

XLV. Mira sane sunt, quæ Alemanni una cum vicinis  
nationibus insequenti etiam seculo Wunefrido Episcopo,  
Bonifacio alias, & Germanorum Apostolo dicto, faceßere  
negotia. Paucis omnino mite erat & tractabile ingenium,  
& quod Norckerus, monachus, Caroli Magni adhuc & Ludo-  
vici Imp. ætate, de ora Bodamici lacus & Alemannia cis-  
Rhenana queri necessum habuit δ.

*Dura viris & DURA FIDE, durissima glebâ.*  
illud Bonifacii ævo, & sub initia seculi octavi undiquaque per  
Provincias obtinuisse videtur.

XLVI.

*a. Rhenanus l. c. p. 162. β. Conf. capp. VI. priora in vitis SS. Galli & Colum-  
bani, à Walafrido Strabo collectis, apud Gold. Tom. I. Scriptorum rerum  
Alemannicarum. γ. ibidem. δ. Job. Stumpf. Chronic. Helvet. lib. V. c. IV.*



XLVI. Imprimis autem alias in gente radices egere actiones quædam gentiles & ritus idololatrici: ut erant fortilegia, aruspicia, phylacteria, fontium auguria, divinationes dæmonum, incantationes, præstigia, sacrificia mortuorum, sive locorum, aliaque nefanda sacrilegia, ut Othlo  $\alpha$  ea recenset, & numerantur in Epistola quadam Gregorii P. R. ad Bonifacium, quam totam fere antiquitatibus suis Gentilismi Thuringici inseruit  $\beta$  B. Sagittarius noster; quæ difficulter admodum ex animis Barbarorum evulsa. Hinc anxii Bonifacii labores, & literæ ad Papam, queis duram Germanorum, ac seorsim quoque Alemannorum cervicem accusavit. Illa autem gentium consuetudo singulariter hic notanda venit, qua *diem*, ut loquitur Tacitus, *noctemque continuare potando non erat probrum*. Hanc autem statis temporibus ac sub Calendas quoque Januarias observasse, ex jam producenda Bonifacii Epistola ad Zachariam Pontificem patebit. Non possumus autem, quin prius, quod doctè admodum in hunc morem commentatus est Beatus Rhenanus  $\gamma$ , hic inseramus. *Hinc, scribit, quibusdam adhuc festis diebus apud nos à nocte cognomentum, ut est ille sub Kalendas Januarias, quo juxta ritum christianum servatoris nostri natalem celebramus, antiquo vocabulo, & haud dubie EX ETHNICORUM OBSERVATIONIBUS relicto, VUIN-NACHT appellatus, à vino videlicet, convivisque.*

XLVII. Reprehendit autem Bonifacius sive simulatos Christianos, sive gentiles, uti propter alias paganas, sic tum præ reliquis propter barbaras ac superstitionas commensationes. Prætexerant autem isti, eosdem esse Christianorum mores, & Romæ circa templum D. Petri quotannis observari. Literæ, quibus ad Pontificem hanc causam detulit Bonifacius, ita habent: *Quapropter Paternitas vestra hujus rei veritatem indicare non dedignetur, ut Ecclesie sacerdotibus, vel populo Christiano inde scandala & schismata, vel novi erro-*

res

*$\alpha$ . in Historia vita Bonifacii, lib. I, c. XXVIII.  $\beta$ . cap. III. n. IV.  $\gamma$ . lib. I. rerum Germanic. p. 5. seq.*

AK 1455  
res non oriantur, & concrefcant: quia carnales homines, idiotæ Alemanni  
vel Bajoarii, vel Franci, fi juxta Romanam urbem aliquid facere vide-  
rint ex his peccatis, quæ nos prohibemus, licitum & concessum à sacerdoti-  
bus esse putant, & nobis improperium deputant, sibi scandalum vitæ accipi-  
unt. Sicut affirmant, se vidisse annis singulis in Romanâ urbe, & juxta ec-  
clesiam, in die ac nocte, quando Kal. Januarii intrant, paganorum consue-  
tudinè ducere choros per plateas, & acclamationes ritû gentilium & can-  
tationes sacrilegas celebrare: & mensas illa die vel nocte dapibus onerare,  
& nullum de domo sua vel ignem, vel ferramentum, vel aliquid commodi  
vicino suo prestare velle. Dicunt quoque, se vidisse ibi mulieres pagano ritu  
phylacteria & ligaturas & in brachiis & in cruris ligatas habere, & pub-  
licè ad vendendum venales ad comparandum aliis offerre. Quæ omnia eo,  
quod ibi à carnalibus & insipientibus videntur, nobis hic & improperium  
& impedimentum prædicationis & doctrinæ perficiuntur. Nec negavit Pon-  
tífex, cum ad literas Bonifacii rescriberet, majorum hos mores aliquan-  
diu à Romanis fuisse retentos: sanctè tamen est testatus, prædecessorem  
suum, Gregorium III. eos, veluti detestabiles & perniciosas, aboluisse, ac se  
ipsum, denuo per instigationem diaboli pullulantes à die, qua ipsum divi-  
na clementia jussit Apostoli vices agere, amputasse; indeque non esse, cur  
se excusent Germani, eadem scelera patrantes. Et videri potest Zacharias  
anno 743. in Synodo Romana denuo ab istis cavisse, cujus aliquod est de-  
cretum: ut nullus Kalendas Januarias, & Bromæ colere præsumserit, aut men-  
sam cum dapibus in domibus præparare, aut per vicos & plateas cantatio-  
nes & choros ducere, quod maxima iniquitas coram Deo, anathema sit &c.

XLVIII. Tandem divini Numinis gratiâ feliciter singulis idolomanis  
Suevicis, eodem anno 743. in Synodo Liptinensi, cui ipse intererat Boni-  
facius, à Carolomanno Rege obicem positam crediderim. Universale e-  
nim extat decretum β, ut, qui paganas observationes in quadam re fece-  
rit, multetur & damnetur quindecim solidis: cautela etiam est addita,  
ne quis mancipia christiana paganis tradat; de qua quorundam impie-  
tate pluribus in Ep. ad Gregorium jam anno 731. est conquestus Bonifa-  
cius. Cæterum, quæ in posteris plures boni legerunt gentilismi vestigia  
& errores, præsertim famosæ illæ aquæ, ignis, ferri, cerei & aliarum  
rerum Benedictiones, quas ex primitivis Alemanniæ Ecclesiis servavit  
Goldastus γ, non tam vulgi pertinaciæ, quam Doctorum, & ipsius Pon-  
tificis Romani, sive negligentia, sive malitiæ una cum aliis acceptæ sunt  
ferendæ; id quod, si Deo ita visum fuerit, pluribus in SUEVIA CHRIS-  
TIANA ostendemus. TANTUM!

α. Vid. Baron. ad A. 743. n. 20. β. B. Sagittar. l. c. c. III. γ. T. II. Script. R. A.

